



*Petr. Gl.*

RHEBINDER, Petrus. Calvinismus irreconciliabilis, seu Delin-  
neatio caussarum, earumque applicatio ad Calvinismum, pro-  
pter quas Josephus Halle, Exonienis episcopus Papissimum  
censuit irreconciliabilem. Wittenberg, sumptibus Johannis  
Bergeri, 1641. 4to. (titleleaf, 134 p.). Bound with: WIGAND,  
Laurentius. Quaestiones vexatae, I An semper in forma syl-  
logistica de rebus theologicis disputandum est ? II An  
Christus tempore mortis verus homo fuerit ? III An Christus  
profinali etiam imponitentia satisfecerit ? IV An peccatum  
originis formaliter sit aliquid positivi ? Wittenberg,  
typis Johannis Formanni, 1625. (52 (last blank) lvs). And:  
LATERMANN, Johannes. Disquisitio theologica de gratia et  
libero hominis arbitrio. Rostock, typis Nicolai Kilia, 1647.  
(32 lvs). And: WITTENIUS, Iohannes. Themata philosophica,  
de libertate voluntatis humanae in actionibus naturalibus.  
Wittenberg 1608. (16 lvs). And: ODHELIUS, Ericus H. Dispu-  
tatio theologica de tribus universalibus aeternae hominum  
salutis causis: dilectione, redemptione, & vocatione Upsala,  
imprimebat Eschillus Matthiae, 1648. (20 (last blank) lvs).  
And: STALENUS, Laurentius Johannes. Disputatio theologica  
de miraculosa primorum generis nostri parentum formatione,  
deque, eorundem primaevae perfectionis statu incidenter sal-  
tem & perfunctoriè considerato; in specie verò de imagine  
Dei, ad quam primitùs sunt conditi. Upsala, imprimebat  
Eschillus Matthiae, 1647. (12 lvs). And: MARTINI, Ericus,  
Ericus MATTHIAE & Abrahamus MATTHIAE. Disputatio de baptis-  
mo ex articulo nono Confessionis Augustanae. Upsala, impri-  
mebat Eschillus Matthiae, 1648. (14 lvs) -C.15-

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



In Nomine Sacrosanctæ & Individua Trinitatis

12

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

Miraculosa primorum generis nostri Parentum formatione, deq; eorundem Primævæ perfectionis statu incidenter saltem & perfunctoriè considerato; in Specie verò de imagine Dei, ad quam primi-  
tus sunt conditi.

Quæ

Illuminante, docente ac Gubernante Spiritus Sancti gratia

Theologica Facultate in Regia Academia Upsaliensi suffragante & approbante

P R A E S I D E

JOHANNE L. STALENO

SS. Theologiæ Professore ord. pub.

R E S P O N D E N T E

LAURENTIO JOHANNIS STALENO.

Piae & amicæ censuræ publicè ventilanda submittitur

In Auditorio Gustaviano ad d. 21. Octobris Anni 1647.  
horis ab 7. Matutinis.

Luc II, 35. Σκότῳ οὖν μὴ τῷ φῶς τὸν ἀνθρώπον εἴσιν.


Johan. 12, 36. Εἰς τὸ φῶς ἔχειν, αἰτεύεται τὸ φῶτόν  
ιαν υἱον φῶτος γένησθε, &c.

UBSALIÆ,

Imprimebat Eschillus Matthie.







## Thesis I.

 **O**ctrina de homine in primigenæ integratatis Statu considerato , & qualis Primitus à Deo creatus c̄st, ordine Sacris monumentis congruo ut concinnè expendatur & intelligatur ; Membra sequentia insinuentur , & ut ingenij mei gratiosa Spiritus Sancti assistentiâ nec non Sacrarum Scripturarum manuductione suffulti adjutiq; tulerit facultas obiter declarentur & dilucidentur oportet. I. Causæ hominis exteriores & interiores , nimirum. 1. Efficiens . 2. Materialis. 3. Formalis. 4. Einalis, Et 5. deniq; in specie imago Dei ad quam Primi generis nostri Parentes sunt efformati. Hæc cuncta distinctè ductum Sacræ Paginæ sequens uberioris fusiùsq; ostendere & diducere conabοr. II.

Τὴν μίαν τρισυπόσεων ἀρχὴν, causam hominis efficiētem esse, rotundis verbis enunciat & confirmat Spiritus Sanctus. Gen. 1,16. aiens: faciamus hominem in imagine nostra. secundum similitudinem nostram.

## III.

Quibus ipsius Jehovæ Verbis de homine creando prolati, bina in primis insinuantur μυστήρια observandi. gnissima. Primo indicatur, quisnam hominem creavit, nimirum μία τρισυπόσεις ἀρχὴ, hoc est Sacrosancta Trinitas, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

A 2

3. Quæ

I V.

Quæ assertio, præter commune Theologicum axio-  
ma, sic sonans: Omnes Dei actus ad extra sunt indivisi,  
Prebatur & vincitur disertâ Spiritus Sancti oratione.  
Deus namq; seu Elohim est, qui dicit: faciamus hominem  
in imagine nostra, & ad similitudinem nostram. Et quando-  
quidem Deus quasi consilium secum initurus de se hic  
sermocinatur pluraliter dicens: faciamus hominem in ima-  
gine nostra, ad similitudinem nostram. Moventur Proinde non  
immerito hic duæ quæstiones: 1. Quemnam alloquatur  
Deus? 2. Quare pluraliter loquatur? Deum non Ange-  
los alloqui, ut quidam Rabinorum fabulantur, multò mi-  
nus terram, ex quâ homo formandus erat, ut nonnulli  
quondam nugati sunt. (Si commemoranti Basilio in ho-  
mil: 9. in Gen. habenda sit Fides) Sed Deum quasi secū de-  
liberare *sweatia*, textus Mosaici evidentissimè demonstrat.

V.

Is namq; verba facit, evm q; alloquitur ad cuius ima-  
giinem homo factus est. Jehovæ Verba sic sonant: *Faciamus*  
*hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram:* dicitis-  
simâ hæc oratione docet Spiritus Sanctus, non ad alias ali-  
cujus imaginem & similitudinem factum esse hominem,  
quam ad imaginem & similitudinem ipsius Dei. Nam post-  
quam Moses dixerat vers. 26. *Faciamus hominem in imagine*  
*nossa, mox subjungit vers. 27. Et creavit Deus hominem ad i-*  
*magine suam, ad imaginem Dei creavit ipsum.*

V I.

Hinc liquidò constat. Deum loqui, atq; seipsum allo-  
qui. Caterum Quare Jehova pluraliter dicit. *Faciamus*  
*hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram.* De eo  
haud omnes concordant. Reperiuntur nonnulli, qui pu-  
tent hic tubesse Peculiarem lingvæ Hebrææ Idiotissimum:

lunc

sunt insuper quidam, qui dicant Deum nominis aucupandi causâ pluraliter de se loquutum esse. Quæ, aliæq; eis consimiles φλυαρίαι, tām apud Judæos, quām Socinianos, cum primis verò apud Eniedinum in explicat: Locorum Vet: & N: T. Pagina 15. & seqq. inveniuntur. Verūm nūgæ hujusmodi. Si consulatur Scriptura θεότητες, refutatu haud sunt difficiles: Scriptura namq; ipsa clarè monstrat, cur Deus jam pluraliter, ut hic loci, jam & pluraliter & singulariter, ut Gen. 2, 8. & 19. hominis creationem sibi tribuat. Irrito verò conatu quæritur loquutionis fundamentum in Peculiari lingvæ Hebrææ idiotismo, vel ia modis loquendi Regibus & Principibus civilibus usitatjs, quibus non infrequens, sed solenne est de suis Personis Pluraliter loqui, idq; honoris gratiâ.

## VII.

Has φλυαρίαι toties refellit Spiritus Sanctus; quoties non uno in loco, sed innuneris sacræ paginæ locis docet & inculcat, æternum illum verum, & vivum Dēum, ad cuius imaginem primitus homo est conditus, velut ἥσια unum, ita personis trinum esse, ut vel ex hisce sacræ scripturæ (alijs quamplurimis impræsentiarum silentio involutis) dictis evidentissimè patet Gen. 1, v. 1. Esai. 46, 8. Joh. 1, 1. 2, 3, 4. seqq. Eph. 3, 9. Job. 33, 4. Psal. 33, 6. Psal. 104, 30. Math. 3, 16, 1. Johan. 5, 7. Et hæc de primo mysterio hoc loco observando dicta sunt.

## VIII.

Secundum mysterium, quod in deliberativa Dei de homine condendo actione observandum venit, est, causa propter quam Deus non absq; præviâ deliberatione creationem hominis auspicatus est. Non ideo certè Deus consilium iniisse scribitur creatures hominem, tanquam consilij indigus ignoraverit, aut ambiguus fluctuaverit, quid fa-

*B. K. II*

Eto esset opus. Non ignotum est illud Apostoli Rom. ii. 13.  
O profundas divitias & sapientiae & cognitiouis Dei! quam  
in scrutabilia sunt ipsius judicia, & impervestigabiles viæ e-  
jus! Quis enim cognovit mentem Domini? at quis ei fuit  
a consilio? aut quis prior dedit ei, & repandetur ipsi? alie  
proinde adducantur oportet causæ, propter quas Deus ho-  
minis creationi quasi consulto & deliberabundus manum  
admovevit; quæ binæ præcipuæ fuisse videntur. Quarum  
prior censetur fuisse, ut hac consultatione dignitas & præ-  
stantia hominis præ cæteris rebus naturalibus a Mose supe-  
rius in historia creationis recensisitis insinuaretur & declara-  
retur. Siquidem nemo non animadvertisit, haud parum  
facere ad exaggerandam & amplificandam hominis præ-  
minentiam, quod terram, mare, abijssum, cœlum, firma-  
mentum, lucem &c. non nisi jubendo creasset, terra omnis  
generis plantas, aqua omnis generis pisces produxisset;  
cœlum stellis insigneretur; ipse verò Deus creationi homi-  
nis non absque præviâ consultatione manum admovevit.

#### I X.

*q.*

Posterior causa videtur fuisse, ut Deus hac delibera-  
tione nobis insinuaret & inculcaret, quanti porderis futu-  
rum erat hominem non tam creare, quam ut creatus in  
integritate & felicitate concreata conservaretur, vel eadem  
deperdita & amissa ipsi recuperaretur & restitueretur. Deus  
enim in divinâ omniscientia suæ luce videbat, hominem  
non diu in suæ innocentia & perfectionis statu perstitu-  
rum, sed brevi defectum, & fore maximæ molis summi-  
que laboris, ut lapsus & perditus homo pristinæ & primi-  
genitæ integritati, dignitati ac libertati restitueretur. Atq;  
Tantum pro instituti nostri ratione de membro primo, in  
quo obiter de causa creationis hominis efficiente, actum  
est.

#### X. Se.

X.

Sequitur jam pōrrō membrum secundum, in quo nobis agendum erit de causa hominis creandi materiali. Quænam fuerit hominis condendi materia proxima prouocat sacer scriptor Gen. 2,7. his verbis: *Et formavit Jehova Elohim hominem pulverem è terrā.*

XI.

Quæ corporis Adamici formatio, præter causam efficientem superius insinuatam, duo complectitur.

XII.

Prius est; materiam proximam, è qua corpus humānum à Deo formatum est, esse terram: Etenim ne reamur talem fuisse corporis Adami efformationem, qualis est hodierna corporum humanorum formatio, rotundis verbis assertit Mofes: *Deum formasse hominem pulverem è terra.* Monent quidam observandam esse distinctionem inter עפר & אַרְמֹן autumant enim voce עפר denotari pulverem rārum & tenuem, & qui vento non difficulter in aërem dispergitur, qualis est in quibusdam partibus superficie terræ, potissimum vero astivo tempore, vi caloris solaris omni humore aqueo terra exhausta. vocabulū verò אַרְמֹן denotari dicunt, terram aquā imbutam. Quæ sanè Rabinorum de diversa horum vocabulorum significatione observationio, non prorsus contempnda videtur. Quamvis enim à Rabinis adducta vocabulorum עפר & אַרְמֹן distinctione non semper observetur. Vocabulam namq; אַרְמֹן etiam tenuem & comminutum pulverem designare constat 2 Sam 15, 25. nullum tamen dubium est, quin vocabulum עפר pulverem tenuem, אַרְמֹן verò terram humore subactam plerumq; in monumentis sacris significet. Quippe quam vocabularum עפר & אַרְמֹן discrepantiam animo libeniori concedimus, quod evidentius & cœbrius eadem utitur Scriptura

ptura θεόπνευστος, quinimodo ipsius Iehovæ vox est Gen. 3, 19.  
quia Pulvis es, et in Pulverem reverteris. Patriarcha Abraham  
dicit, Gen. 18. 27. Ecce ego cuperem alloqui dominum licet sim  
עֲפָר & אֲפָר Pulvis et cinis. Apostoli assertio est. 1. Cor. 15.  
47, 48. πεποιηθεῖτε τὸ άνθρωπον ἐκγῆς χειρὶς, οὐ δὲ ὀχεῖς τοις  
καὶ οἱ χοίκαι Primus proinde homo Primâ suâ origine Pul-  
vereus fuit.

### XIII.

Hactenus de autore & materia Primi hominis proxima, sequitur tertio efformationis modus considerandus, qui exprimitur verbo יָצַא quod licet aliquando quamvis effectionem, etiam eam, quâ quidquam ex nullâ Præexistente materiâ producitur, Esai. 45, 7. aliquando materiæ cuicunq; novam & certam formam indere significat, sensu tamen proprio figulis ex luto aut argilla Vasa figlina efformantibus, competit. Hinc יָצַא figulus Esai 42, 1. Verum quidquid de eo sit sanè non possum non maximoperè admirari, quomodo Iehova è merissimo pulvere formosam illam humani corporis structuram efformavit & extruxit. Captum namq; intellectus humani longissimo intervallo excedit, quomodo corpus humanum & tantæ concinnitatis, & ad tot tantasq; actiones obeundas aptum idoneumq; & quod nec injuriâ cali, nec ulla temporis longinquitate, Si homo mandatum Dei non prævaricatus fuisset; ullum damnum sensistet, è merissimo pulvere compingi, conglutinari & constare potuerit. Iehovæ Sapientiam, hoc in opere, ut in alijs, plerisq; admiremur & veneremur oportet: quæ longè superabundantius, quam nos nostro intellectu comprehendere possumus, facere. Potis est, Eph. 3, 20. Et hic loci succinctè annotemus oportet encomia Iehovæ ob admirandam hominis formationem in monumentis Θεόπνευστος adscripta P̄sal. 94, 1. An plantans aurem non audiet, aut formans oculum nonne videbit? P̄sal. 139, 2, 3, 4, 3. seqq. Tu Domine cognovisti sedere meum, & sur-

gere



gere meūm , intellexisti cogitationes meas è longinquo ;  
iter meum & accubitum meum circumdedisti , & cunctarū  
viarum mearū peritus es , cum nondum esset sermō in lin-  
gvā meā , Ecce o Domine nosti meipsum totum ante & re-  
trò formasti me . Esai . 29 , 15 , 16 . Væ abscondentibus in  
profundum à Iehova consilium , qui dum in tenebris sunt  
eorum opera , dicunt , vel cogitant : quis aspicit nos , &  
quis novit nos ? O vos perversissimos homines ! quasi lu-  
tum contra figulum cogitet , & dicat opus factori suo , non  
fecisti me ; & tigmentum dicat factori suo : non intelligis .  
Esai 45 , 9 . Væ contradicenti factori suo : numquid dicet lu-  
tum figulo suo quid facturus es , cum ad opus istud tuum  
nullæ sint manus ? Esai . 64 , 8 . Iehova , tu Pater noster es : &  
opus manus tuæ sumus &c . Quæ & alia hisce similia Scri-  
pturæ dicta valdè emphaticè depraedican Iehovam à Primâ  
primi hominis efformatione . Atq; hac dicta sufficient pro  
nostri iustituti ratione de corporis primi hominis è terræ  
pulvere concionatione .

#### XIV.

Primi hominis causis , efficiente , materiali , nec non  
modo , quo formatus fuit , persuactoriè insinuatis & indi-  
gitatis , tequitur ut forma ejus interna expendatur & con-  
sideretur . Quæ verò ea fuit , expressit Moses his phrasibus :  
Gen . 2 . 7 . Et inspiravit Iehova Elobim in faciem ejus spiraculum  
vitarum & fuit homo in animam viventem . Hac Spiritus san-  
cti verba quia primo intuitu videntur sub obscura , proinde  
quod tiant intellectu facilita , dilucidentur oportet 1 . quid  
nomine spiraculi vitarum , quod Iehova primo homini in-  
spiravit , occurrit intelligendum . 2 . Quid sit , spiraculum  
hominis in faciem inspiratum esse . 3 . Quid intelligendum  
veniat hac verborum formà ; hominem ista spiraculi vita-  
rum inspiratione factum esse in animam viventem .

#### B

#### XV , Pri-

X V.

Primo notandum est, quid nomine spiraculi vitarum intelligendum sit: certum est, ut reor, quod per spiraculum vitarum, designetur ipsa anima; Ratio est, partim quia anima virtute divinitus sibi inditâ verè vitas spirat, quod namque homo vivit, id totum immediatè acceptum refert animæ: partim etiam quia sacro codici valde frequens & familiare est, voce, ΗΨΩ animata exprimere, ut videre est Deut. 20, 16. Josuæ 11, 11, 14. Partim denique quia Spiritus sancti amanuensis Moses rotundis verbis assertit, hominem hoc ipso vitarum spiraculo factum esse in animam viventem.

X VI.

Huic assertioni nostræ suffragantur, fidemq; facere & conciliare videntur, sequentia sacræ paginæ dicta minime obscura. Job. 33, 4. Spiritus Iehovæ facit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me, Eccles. 12, 7. Revertatur pulvis in terram suam unde erat. Spiritus vero redeat ad Deum qui dedit illum Act. 17, 25. ὁ Θεὸς διδός πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ πάντα. hisce Spiritus sancti eloquijs qui fidem habet, vix inficiabitur, quin nomine spiraculi vitarum intelligatur ipsa anima, quæ immediatè dat ζωὴν καὶ πνοὴν, quæq; ergastulo corporis pulveri redditi soluta & emancipata ad Deum redit:

X VII.

Nomine Spiracuali intelligi debere animam hominis, supra citata S. Scripturæ testimonia evidenter evincunt, sed quam ob causam anima nominetur Spiraculum non singulariter vitæ, sed pluraliter vitarum, dicendum superest.

X VIII.

Arbitrantur quidam interpretum, id eo fine factum esse, ut ostenderetur, homini datae esse omnes vitæ naturalis species, nimirum vegetantem plantarum, sentientem brutorum, & ratiocinantem Angelorum.

Vc.



## XIX.

Verum, licet non invitus per concessionem largiar,  
divinitus datam esse homini animam, quā & vegetaretur,  
& sentiret, & intelligeret, Unius enim specie substantiae  
non nisi una duntaxat forma esse potest. Phrasit tamen  
**בְּנֵי חַחִים** singulariter intelligi & insinuari omnes vitae  
species, affirmans concedere haud audeo, hoc argumen-  
to fatus & suffultus: quia eadem phrasi utitur Spiritus  
Sanctus de quovis animali vivente, bruto pariter etiam ra-  
tionali, quod καπνολύσμω obrutum presumivit, ut videtur  
est Gen. 7, 22. Suorum proinde verborum optimus inter-  
dres censetur sacer scriptor Moses, qui spiraculum vita-  
rum exponit animam viventem. Cui assertioni disertâ  
& rotundâ oratione suffragatur & calculum addit candi-  
diorem Apostolus 1. Cor. 15, 14. ἐγένετο οὐ πεῖται ἀνθρώπος  
Άδαν εἰς ψύχην ζῶσαν. Qualis vero fuerit hæc anima, &  
quā ratione à brutorum anima discrepet, infra ex professō  
demonstrabitur.

## XX.

Cæterum, quo fine Jehova spiraculum hoc vitarum  
homini communicaverit inspirando, & non alio modo;  
interpretes non concordant. Patres antiquiores, Iusti-  
nus, Irenæus, Tertullianus, alijq; non pauci putant, secun-  
dam SS. Αγίας personam, quæ formâ humanâ cum patri-  
bus primi & vi crebro conversata fuit, assumpto hominis  
σχήματι manibus suis lutum è terra lumpisse, & ex eo cor-  
pus primi generis nostri parentis finxisse, & flatu spiracu-  
lum vitarum efformato corpori inspirasse. Verum licet  
hæc videantur piè dici, sed tamen absq; sacrae scripturæ au-  
toritate λαοδογματικῶς dicuntur. Is namq; ipsus Deus &  
invisibilis & corporis expers, qui cœlam & terram, omni-  
aque quæ in illis sunt, creavit, & ad cuius ἀκορα homo crea-

cus est, corporis Adamici fuit formator, & hoc digitum intendit Zacharias Propheta 12, 1. *Hec dicit Dominus extendens cælos, fundans terram, & formans Spiritum hominis in eo.* Nobis autem certissimum est, Deum patrem, filium & Spiritum Sanctum, uolum illum verum Deum Cœli & terræ creatorem esse, atq; hominem non ad Iohannes filij duntaxat sed individuæ illius Sacrosanctæ pietatis imaginem creatum esse. Theodoretus adhibitæ insufflationis adducit aliam causam, videlicet Deum voluisse hoc significare, tam facile sibi fuisse creare primum generis nostri parentem, quam facile est homini cuiquam flatum ex ore suo emittere. Verum meo quidem judicio, præstat hic ἐπέχειν, quam extra Sacrae scripturæ dictamen quidquam certitudinem statuere, & ea scrutari, quæ Deus nospiam in verbo suo nobis patefecit. Hoc tamen duntaxat perspicillatum mihi habeo, quod inspiratio illa nec potest, nec debet intelligi de actione aliqua corporea, quæ ministerio oris perficitur. Crassiora namq; hæc sunt, quam ut Deo, qui merissimus ac simplissimus actus est, & sicut corporis, sic quoq; oris expers est, competere ac applicari queant. Non tamen arbitror illum hallucinaturum, cui volupe fuerit asserere, spiraculum hoc vitarum, donatum fuisse, per tenuem quendam halatum, flatum, aut auram à Deo excitatam. Ratio probalis est; partim quia Salvator insufflatione contulit Apostolis Spiritum Sanctum Iohann. 20, 23. Per quem renovamur ad imaginem divinam. Eph. 4, 24. Tit. 3, 5. Respiciens procul dubio ad modum, quo Deus uetus est in inspiranda primo generis nostri parenti anima, in qua primitus præcipue refusus imago Dei: Partim etiam quia Deo familiare fuit in V. T. præsentiam suam indicaturo, aut stupenda opera facturo, ventum, auram aut spiritum instar præludij cuiusdam, præmittere, ut videre est i. Regum 16, 12. seqq. Ech. 37, 7, alijsq; sacri codicis locis. Hoc

## XXI.

Hoc spiraculum vitarum homini in faciem inspiratum esse, quidnam sit, fusiūs declaretur oportet. Omnes fermè orthodoxi interpretes hanc fovent sententiam, homini animam inspiratam esse in nares: **Denis** namq; nāsum & nares denotat. Rationem verò interpretes redditū, propter quā Deus animā in nares præsertim inspiravit, rentur hanc esse: quia respiratio cœu infallibile ritæ **πνεύματος**, in naribus, utpote externo respirationis instrumento peculiariter refulget. Quæ sanè ratio militaret & valeret, nisi jam non fieret mentio animæ brutæ, sed animæ hominis, quā intelligit; Cujus profecto operatio, tantum quā intelligens est, per nares minimè animadvertisatur. Verisimile videtur, non hoc velle Spiritum Sanctum, quod spiraculum vitarum homini à Deo insufflatum sit per nares; sed hæc videtur esse Mosis sacrificiæ spiraculi sententia: Deum propterea homini spiraculum vitarum inspirasse, ut ipsi in faciem esset, id est, unde palam videre, judicare, & censere quis quirat, quisnam, qualis, quantiq; valoris & pretij homo existeret: ita ut phrasis **בְּנֵי אִישׁ** non peculiariter indigitetur certa corporis humani pars integrans, nempe nares, per quas homini inspirata fuit anima, sed ut insinuetur & intelligatur potius finis, quem in insufflatione animæ Deus spectaverit. Confirmat & evincit hanc expositionem spiraculi illius proprium officium. Citra namque controversiam, ut autumo, verum est, animam ideo homini inspiratam esse, ut per eam, & ipsius actiones, innotoscere ac inclarescere posset, quis, qualis, & quantæ præ alijs creaturis physicis nobilitatis & præstantiæ esset homo, isto spiraculo vitarum divinitus insignitus.

B 3

## XXII.

## XXII.

Ab hac interpretatione non aliena est phrasis בְּאַפָּי, quod litera א causam finalem subinde significari nemo potest ire inficias. Quapropter, ut Iacob servisse dicitur Gen. 29, 18, 20. בְּרַחֵל ob Rachelē, vel ut posset potiri Rachelē: ita Deus inspiravit Adamo spiraculum vitarum בְּנֵי in faciem, seu ut esset Adamo in faciem, è qua nimirum clarè videri & cognosci potest, quis & qualis esset Adam.

## XXIII.

Superest, ut explicetur, quidnam sibi Spiritus Dei ve-  
lit, dum ait, factum esse hominem in animam viventem, ? Quorum verborum sensus haud videtur obscurus. Cor-  
pus namque Adamicum truncus, inspirato vero jam spira-  
culo vitarum, incepit se mouere, vitales, animales, & in-  
tellectuales actiones exercere, sentiendo, videndo, audiendō,  
gustando, olfaciendo, rationem prodere intelligendo,  
volendo, cogitando, judicando, sermocinando. Nemo  
namq; inficiari potest ulla verisimilitudine, nomine animæ  
viventis intelligi, non duntaxat vegetantem, & sentientem,  
verum etiam rationalem animam.

## XXIV.

Homini namq; per spiraculum vitarum datam esse  
præ cæteris animalibus, quæ bruta sunt, facultatem intel-  
ligendi, volendi, cogitandi, loquendi, evidenter docet Mo-  
saica historia. Siquidem ad hominem recens conditum  
& spiraculo vitarum vivificatum adducuntur omnis gene-  
ris bruta animantia, ut singulorum generibus nomina na-  
tura ipsorum admußim congruentia & convenientia indat  
Gen. 2, 19. quippe quod absq; adminiculo rationis, & cer-  
te singulari scientiæ lumine fieri haud potuit. Et jubetur  
homo abstinere ab usu arboris scientiæ boni & mali, ut  
Deo hoc pacto voluntarium adprobaret ac præstaret obse-  
quium

quiū Gen. 2, 16, 17. quod profectō absq; pleno liberi arbitrij usu facere non potuit. Hominē proinde, inspirato jam corpori spiraculo vitarum factum esse in animam viventem, nihil aliud esse videtur, quam hominem esse animal vivens vitā vegetante, sentiente, & rationali, quandoquidem etiam hodierno die animadvertisimus hæc esse spiraculi istius vitarum primitū inspirati munia admissim cum sacris litteris concordantia. Atq; hæc dicta sufficient de spiraculi vitarum, in animam viventem insufflacione.

#### XXV.

Evaē primæ generis nostri matris è costā Adami exeructio porò sequitur perpenda & consideranda. Quæ his verbis à Mōse proponitur & exprimitur Gen. 2, 18, 21, 22 & dixit Jehova Elohim: non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adjutorium, quod ipsi conveniat. Et cadere fecit Jehova Elohim soperem super Adamum & dormivit, & sumpsit Unam e costis ejus: & clausit carnem pro eâ. Et adificavit Jehova Elohim costam, quam acceperat dè Adamo, in mulierem.

#### XXVI.

Insinuatur primò his verbis finis formatæ Evaē, nimirum, non esse bonum, hominem esse solum: faciendum proinde ipsi esse adjutorium.

#### XXVII.

Subtilibus disputationibus, quibus controvèrtitur, cur non fuerit bonum homini, ut esset solus, consultò superledo, quæde quidem certum & planum est ex scriptis contextus, respexisse Deum ad multiplicationem & propagationem humani generis per maris & fœminæ licitam & decentem conjunctionem.

#### XXVIII.

Quando namq; Deus adduxisset ad Adamum omnis generis animalia, nec inter ea inventisset adjutorium Adamo

mo commodum & aptum, tunc demum subjungit Iehova :  
*Non est bonum, hominem esse solum?* insinuans non decere & congruere, ut solitarius homo relinqueretur, si homo non minus, quam reliquæ animalis species, suam speciem per multiplicationem individuorum proeminare & propagare teneretur.

### XXIX.

Proinde non absolutè & simpliciter asséritur: non est bonum, hominem esse solum: contrariaretur namque talis simplex & absoluta assertio, partim beatissimo hominum statui in futurâ vitâ, ubi homines erant *ἰσάγγελοι*, nec locus erit conjugio Luc. 20, 36. Partim assertioni Apostolicæ, approbanti & deprædicanti vitam cælibem & solitariam. 1 Cor. 7, 31, 32, seqq. Sed hæc Spiritus sancti loquatio: *non est bonum, hominem esse solum;* Secundum quid & non simpliciter est intelligenda & accipienda, hoc significato: tunc temporis non fuit bonum, consultum & commodum, ut homo reliqueretur solus, si non minus ipse speciem suam, quam aliæ animalis species, per multiplicationem individuorum convenienter modo propagare debet.

### XXX.

Cæterum, curiosè hic disputare nolo cum curiosis quibusdam interpretibus, quid Deus sibi velit, cum dicit: *Faciam ei adjutorium בְּנֵךְ* ante seu coram ipso. tutissimum esse reor considerare antecedentia & consequentia textus Mosaici, & nihil certius est, quam istâ loquendi formulâ designari, hujusmodi Adamo adjungendum esse adjutorium, quod naturâ & specie ipsi simile, jugis, perpetuus & individuus socius sit. Hanc phras eos expositionem nobis suppeditat ipse Dei Spiritus, quando adductâ jam ad Adamum Èvâ, hæc profert verba: *Relinquet homo patrem suum & matrem*

etrem suam & adhærebit uxori sue, & erunt Duo in carnem unum Gen. 2, 24.

### XXXI.

Præterea verbis è cap. 2. Gen. v. 21, 22. allatis exprimitur modus extictionis Evæ. Afferit enim Dei Spiritus, Jehovam cadere fecisse soporem super Adamum, & è latere dormientis Adami costam sumpsisse: deg̃ costā istā Evam formasse: & in locum costae ablatae carnem substituisse. Moveatur hic non immerito quæstio, qualis nam fuerit somnus, qui in Adamum irruisse afferitur?

### XXXII.

Naturalem somnum non fuisse, vel inde constat, quia divinitus dicitur immissus, non verò à vaporibus è ventriculo in caput ascenderibus & somnum conciliare solitis ortus. Græci interpres appellant ἐκσαντινόν, quā nimis coripi solent Prophetæ, dum ipsis Deus sua manifestat mysteria. Verūm vox Hebræa שְׁמַרְמָה quam usurpat Moses, non ἐκσαντινόν sed somnum gravem significat, ut videre est Gen. 15, 12. & 1. Sam. 16, 12. à radice שְׁמַרְמָה sopore obrutus fuit. Unde etiam Aquila καπνοφοραν, Symmachus verò καρπον vocant, quæ dictiones significant somnum gravem, quasi lethargum. Multi hoc loco utuntur nomine soporis.

Hoc interim improbari non potest, quia Adamus in profundo isto somno luce quadam divina peculiariter illuminatus & Spiritu Prophetico repletus fuerit: quandoquidem evigilans dixit: hoc est os ex ossibus meis, & caro è carne meâ.

### XXXIII.

Cur Deus voluerit ex Adamo dormiente potius quam vigilante Evam formare, multi magis curiosè, quam fructuose, disputant, & conjectoriè nugantur. Sed nostrum non

C

cst



est curiosè & otiosè inquirere in consilia & cogitationes  
Dei in verbo nobis nuspian detectas'. Acquiescamus ergò hic oportet in merà Dei éudoxiæ præsertim cum Deus  
nuspian in verbo suo nobis revelavit , cur maluerit , ex Ad-  
damo dormiente , quām vigilante fāminam formare.

#### XXXIV.

Materiam proximam , ex quā Eva fuit efformata Moses exprimit voce יְלִקְתָּן , quæ costam & Synecdochicè latus denotat. docere voluit Sacer scriptor Moses efformatam esse Evam è costâ Adāmi carne circumdatâ. Perspicuè hoc docuit Adam , conspectâ Evâ exclamans : *hoc est os ex ossibus meis , & caro de carne meâ.*

#### XXXV.

An verò costa ista , ex quā formata est Prima generis nostri mater è dextro an sinistro latere desumpta sit? An fuerit una è costis veris an verò nothis ? an necessaria fuerit hæc costa , an verò supervacanea , quandoquidem adhuc demonstrent Anatomici in utroq; latere fāmino & quæ ac in masculino duodenas costas ? Sacra pagina non indicat. Has proinde argutias missas facimus , & curiosis illis hominibns verbo Dei non contentis & acquiescentibus discutiendas relinquimus. Pietatis & cælestis veritatis studiosis sufficit scire , Evam è costâ Adām conditam esse , resarcitâ subtractione costæ carne , quæ in ejus locum substituta fuit ad replendam vacuitatem , in qua succinctâ assertione in sacro codice expressè editâ tutius acquiescere gestio , quām subtilibus , ne dicam inutilibus , quæstionibus in monumentis divinis nuspian vel propositis vel decisis irrito conatu indulgere & operam impendere.

#### XXXVI.

Utriusq; primi generis nostri Parentis ad imaginem  
Dei creatio , jam ponio perpenda & penitus consideranda  
sequi-

sequitur; quæ à Spiritu Sancto hæc verborum formæ Gen.  
1. 27. propositur & exprimitur: *Et creavit Deus hominem in  
imagine suâ: in imagine Dei creavit eum: masculum & fæmi-  
nam creavit eos:*

### XXXVII.

Quid autem imago Dei sit, ad quam homo primitus  
creatus est, ex ipsis vocabulis אֵלֹהִים & רַמְאָה, quibus sacer-  
scriptor utitur, quodammodo innotescit. אֵלֹהִים enim est à ra-  
dice אֵלֶל adumbrare juxta quorundam interpretationem.  
רַמְאָה à אֵלֹהִים assimilare, similem esse. Imago proinde  
Dei ad quam homo creatus fuit, est similitudo, quæ ho-  
mo creatorem suum referebat, atq; secundum modum  
capacitatis suæ exprimebat.

### XXXVIII.

In quo autem imago Dei, ad quam homo primitus  
fuit creatus, constiterit, è verbo Dei discamus oportet.  
Hoc verò qui justâ diligentia consulit, piâ devotione per-  
legit & perpendit, haud difficulter animadvertisit & intel-  
ligit, imaginem Dei, in homine primitus creato clare re-  
fulgentem & renitentem constitisse:

### XXXIX.

Primo: in Dei, & rerum non duntaxat temporalis-  
um, sed in primis ad æternam salutem ac beatitudinem  
spectantium plena & perfecta (perfectione capacitati ho-  
minis pro isto statu competente intellectâ) cognitione.

### X L.

Secundo: in rectitudine & sanctimonia voluntatis,  
qua idonea prompta ac expedita erat, seque & exsequi id  
quod mens ritè monstrabat affectandum, & justè impera-  
bat faciendum.

### X LI.

Tertio: in sensuum interiorum & exteriorum, nec

non membrorum prompta & expedita obedientia & obsequio ad sequendum & exequendum quodvis bonum, quod intellectus mente prescribebat & voluntas appetebat.

XLI.

Quarto: in totius hominis auctoritate & immortalitate.

XLI.

Quinto: in imperio & dominio in omnis generis animalia & universam terram iuramento & concessione.

XLIV.

Sexto: denique in vita formidinis periculorum & mortis experie. Hac singula fusiū ordine sunt explicanda & probanda.

XLV.

Primò: quod imago Dei, ad quam homo fuit creatus, consistit in Dei & rerum tam temporalium, quam ad æternam felicitatem spectantium plenam & perfectam cognitionem, non pauca sunt, quae id probant & evincunt.

XLVI.

In rerum naturalium notitia progressum suum probatum dedit Adam, partim nomina singulis animalis speciebus, naturæ ipsarum convenientia imponendo Gen. 2, 19. Partim miraculosum ortum Evæ indicando Gen. 2, 23.

XLVII.

Quâ verò excelluit Adam ad imaginem Dei efformatus rerum coelestium & supernaturalium peritiā, perspicuis & expressis verbis docet Apostolus Col. 3, 10. hanc verborum formulā describens hominis ad imaginem Dei redintegrationem: *Induite novum hominem, cum qui renovatur ēπίγνωσιν, secundum imaginem ejus, qui creavit eum:*

Quod si homo, ut restaret & reparetur in eo Dei imago, renovari debet ēπίγνωσιν quis ibit inficias, quin imago Dei, ad quam homo primitus factus, considererit in Dei rerum-

rumque æternam salutem concernentium certâ cognitio.

### XLVIII.

Secundò: quod imago Dei, ad quam homo fuit conditus, ambitu suo quoq; comprehendenterit rectitudinem & sanctimoniam voluntatis, diligenter & rotundè docet & monstrat Apostolus Eph- 4, 24, his verbis usus: *Renovamini & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitiam & sanctitatem veritatis.* Hoc Apostolico pronunciato quid vel dilucidius, vel efficacius dici potuit pro confirmanda & stabilienda primo homini concreata justitiâ, & verâ sanctitate non postrema imaginis divinæ parte.

### XLIX.

Tertiò: Quod imago Dei, præter intellectus peritiam & voluntatis rectitudinem ac sanctimoniam, etiam constiterit in omnium interiorum & exteriorum sensuum, sicut etiam membrorum promptâ, paratâ & expeditâ obædientiâ ad sequendum, & exequendum quodvis bonum, quod intellectus imperabat, & voluntas affectabat, non pauca sunt monumentorum divinorum testimonia, quæ probant & demonstrant.

### L.

De primis generis nostri Parentibus dicit Jehovah Gen. 2. 15. *Nudi erant ambo & non Erubescabant.* Quæ vero causa fuit, cur non Erubescabant? certè non alia datur causa, meo quidem judicio, quàm castitas & sensum externorumq; membrorum cum mentis & voluntatis rectitudine & sanctimonia amicissima concordia & conspiratio.

### L I.

Huie nostræ Thesi ac assertioni fidem conciliant & faciunt, hæc Spiritus Sancti verba: Rom. 12, 1. 2. seqq. *Sistite corpora vestra hostiam viventem, Sanctam beneplac-*

C 3  
cen.

centem Deo, τὴν λογίκην λατρεῖαν ὑμῶν, & ne configuramini  
seculo huic, Sed transformamini renovatione mentis ve-  
stræ εἰς τὸ δοκιμάζειν ἡμᾶς καὶ σι τὸν εὐλογόνον ὑμῶν παιένια, καὶ τὴν ψυχὴν τὰ  
τὸ σῶμα αὐτὸν εμπλῶσεν τὴν παραγόστικήν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ την  
εγγένειην: Quae & alia hujusmodi Spiritus Sancti dicta quibus  
renovatio nostra describitur, sufficienter docent, imagi-  
nem Dei, præter alia omnium sensuum ac membrorum  
dona & reqnista obtinuisse promptam & expeditam ob-  
ædientiam, & congenitam pronitatem ad sequendum &  
exsequendum quodvis bonum, quod intellectus impera-  
bat & voluntas appetebat.

### LII.

Quarto: Quod imago & similitudo Dei ad quam ho-  
mo factus fuit, ambitu suo etiam comprehendenter totius  
hominis ἀφθαρτίαν & immortallitatem, nemo inficiari po-  
test, siquidem & Deus ipse Gen. 2, 17. minetur hominem  
mortem, si interdicta arboris fructu vesceretur: Et sapiens  
Sapient. 2, 25 rotundis verbis affirmat asseritq; hominem  
creatum fuisse εἰς ἀφθαρτίαν. Apostolus disertâ oratione ait  
Rom. 5, 12. Mortem per peccatum intrasse in mundum.  
Nullo mentis acumine sit oportet, qui hinc non intelligit  
hominem quoq; immortalitate, conditorem suum, utpote  
ἀφθαρτον καὶ αἰδαλον 1. Timoth. 1, 18, & cap. 6, 16. expres-  
sisse & retulisse.

### LIII.

Quinto: Quod homini ad imaginem Dei jam facto  
dominatus & imperium in omnis generis animantia & uni-  
versam terram, datum & concessum fuerit, manifestum est  
ex textu Mosaico, & si hoc dominium non imaginis divinæ  
pars est, tamen est faltem quoddam ejus consequens seu  
con-

ēonsecrarium, Audiantur verba Mōsis Gen. 1, 26. Faciamus  
hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram, & domine-  
tur pīscibus marī, & volatilībus cōlorum, & jumentis, & domini-  
um exerceat in universam terram & omne reptile, quod reptat super  
terram. Audiantur verba Apostoli 1. Cor. 11, 7. Vir propter  
imperium in uxorem & familiā, est imago & gloria Dei.

LIV.

Sextō: Non postrema imaginis divinæ pars fuit,  
quod homo sine metu periculorum & mortis vivere potuit,  
gratiā Dei fretus & contentus. Huic assertioai nostræ fi-  
des conciliatur partim ex eo, quod Eva omnis pavoris ex-  
pers cum serpente familiariter miscet sermones. Gen. 3, 1,  
2, seqq. Partim etiam ex eo, quod imaginis divinæ repara-  
tio in eo magna sui parte consistit, quod pavore periculo-  
rum & mortis liberati pacatam & tranquillam vivimus vi-  
tam. Luc. 1, 74. Hēb. 2, 15. Atq; hæc est brevis quædam i-  
maginis divinæ delineatio, non ex scrutinio humanorum  
commentorum collecta, sed è divinorum monumentorum  
promptuario petita. Ubi accuratè observandum est, quod  
homo, sicut imaginem divinam, ita universam suam perfe-  
ctionem in λόγῳ Dei filio, obtinuit, adeo, ut tām diu ho-  
mini primitus ad imaginem Dei creato sua innocentia es-  
set, integritas, & perfectio, quām diu in unigenito Dei fi-  
lio, λόγῳ ἡνοντὶ θεῷ ἀρχῇ inconcussus & firmus subsi-  
stet.

LV.

Hanc nostram sententiam disertè confirmat Aposto-  
lus Col. 1, 15, 16, 17. hisce phrasibus usus: Qui, λόγος filius  
Dei, est imago Dei invisibilis, & primogenitus omnis rei creatæ.  
Nam per eum condita sunt omnia, quæ in caelis sunt, & quæ in ter-  
rā, sive dominia, sive imperia, sive potestates: Omnia per eum, &  
in eum condita sunt. Et ipse ante omnia, & omnia per eum con-  
stituit-

fiunt. Quidquid proinde primus homo obtinuit integratatis & perfectionis, illud totum habuit in filio Dei, *πρωτότοκος κόσμος κληρονόμος*, & per quem & in quem cuncta creata sunt, & in quo consistunt. Atq; hæc pauca de imagine & similitudine Dei, ad quam homo creatus fuit, hoc tempore & loco dicta sufficiant. *Sicut Furens. lib 2 art Monum C 24* *Dag omnia homini opera que bona sua*

*Soli Deo honor, Laus, & gloria in secula  
mata p̄fū nullis seculis terminanda, ut: sed Sola  
bona p̄debetur.*

*An Deus sit causa peccati?*

*Deus quidem ab  
omniā peccata  
ab hominib⁹ quā  
infinita Erat  
se respondit.  
nunc p̄ficiens  
torn⁹ fuit  
An vno Corinuclia  
ne ac p̄degrediatio-*

*eterno præsevit  
q̄ fiducia erant  
seculis Dni off  
ad omnia scibilis  
prædictus fin  
dai resperdi p̄ce  
munda et simplici  
voluntate ordinatio  
ne ut vult Calvins  
P̄ficiens omnia peccata q̄  
fiducia erant non tu voulis ordinavit at p̄di  
scibilis ne fierint ac priuata, p̄vicio vice p̄fici  
lia Dni sunt Amphiq̄ seu Speculativa non a-  
practicæ circa p̄ceccata et actiones maledic. unde  
August Lib de p̄digi. C. 20 art: P̄deglinoꝝ sine p̄fici  
lia nō nō p̄t, poligl̄a. Et siue p̄deglinoꝝ p̄fici  
Et in libro 3. de Anima at sive origine C. 7. p̄re-  
severitia Dni peccatoꝝ p̄ceccata non facit. Et lib 3  
de lib. arb. C. 4. Deus omnia quoniam ipse auctor est  
p̄fici nec tu omnia q̄ p̄fici ipse auctor est. quoniam  
a. nō p̄t auctor, locū inq̄ q̄ ob ultiꝝ. Et dicit.*

Inhousef. 3

VD.AZ.

D:






In Nomine Sacrosanctæ & Individua Triadæ  
DISPUTATIO THEOLOGICA

De

12



imorum ge-  
tum formatio-  
perfectionis statu in-  
e considerato ; in Spe-  
ad quam primi-  
diti.

te Spiritus Sancti gratia  
a Academia Upsaliensi  
probante

D E  
STALENO

ore ord. pub.

E N T E  
N I S STALENO.

entilanda submittitur

21. Octobris Anni 1647.  
horis ab 7. Matutinis.

Luc 11, 35. Σκότων οὖν μὴ τῷ φῶς τὸ ἄν σοὶ σκοτεῖσθαι.

Johan. 12, 36. Εἰς τὸ φῶς ἔχετε, ωιτεν επὶ αἷς τὸ φῶτα  
ίνα οἱ φῶτος γένηθε, &c.

UBSALIE,  
Imprimebat Eschillus Matthie.